



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

Sectio I. Qvod sit obiectum materiale adequatu[m] nostré fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

alterum magis reueremur, vel diligimus, magis mouemur ab eius precibus. Item in intellectu, quando credimus duobus testibus, quod vni soli non crederemus: quia tamen alter maioris est auctoritatis, magis mouemur ab eius testimonio ad credendum. Vnde iudex, qui aliquando non credit vni testi etiam ad torquendum reum, accedente tamen aliquo indicio, vel adminiculo, credit ad eum effectum, sed magis mouetur à teste, quàm ab indicio, vel adminiculo accedente, licet à neutro totaliter moueatur. Ratio autem sumitur ex supradictis, quia intellectus, & voluntas, quando assensum, vel consensum præstant, non solum approbant motiua, & ea explicant, sed etiam explicant gradum approbationis, & quantum singulis motiuis deferant, ne confundant motiua omnino inæqualia, æqualem eis affectum, vel consensum exhibendo.

144 Petes vltimò, quando proponuntur duo motiua diuersa assentiendi, propter quæ intellectus possit duobus actibus diuersis assentiri, vnde proueniat, quod aliquando duos actus eliciat circa illa duo motiua, aliquando vnum solum, quo vtrumque motiuum complectatur, v. g. si proponitur ratio Philosophica, & simul motiuum fidei ad credendam immortalitatem animæ, vnde determinetur intellectus ad eliciendos duos actus, alterum scientiæ, alterum fidei distinctos, vel ad eliciendum vnum solum, qui idem sit actus scientiæ, & fidei; cum enim intellectus sit potentia necessaria, videtur, quod si semel elicit duos actus, semper debeat duos elicere, vel è contra, si semel elicit vnum solum, semper debet vnum, & non duos elicere. P. Hurtado *disp.* 31. §. 1. dicit, quando fides iam præcessit cum suo actu, si postea accedat demonstratio, generari alium actum scientificum, qui sit simul cum actu fidei, & è contra: quia adueniente demonstratione, non est cur pereat actus præcedens fidei, neque è contra. Si verò simul applicetur vtrumque motiuum (quod intelligo de simultate temporis, & naturæ) fieri vnicum actum ab vtroque habitu, & motiuo; quia non est, cur multiplicentur actus. Quæ probabiliter dicuntur, & addi potest, licet Angelus fortasse, qui maiorem reflexionem, & potestatem habet supra proprios actus, possit voluntate sua determinare intellectum ad vnum, vel distinctos actus eligendos circa plura motiua; nos tamen, qui nec experimur vnitatem, vel pluralitatem actuum, quos simul elicimus, nec scimus modum concurrendi ad vnum vel plures actus simul eliciendos, non videri tantam potestatem habere in nostrum intellectum, vt possimus pro arbitrio nostro determinare illum ad vnicum, vel plures actus simul eliciendos circa idem obiectum sub diuersis motiuis, sed solum posse imperare assensum, vel dissensum propter tale motiuum. Possimus quidem imperare actus distinctos, imperando successionem vnius actus post alium, quam actuum distinctionem ortam ex successionis tempore bene percipimus: quod autem simul sint plures actus, vel vnicus circa plura obiecta formalia, non videmur posse imperare immediate, sed solum substantiam assensus, vel dissensus propter talia motiua, quam tendentiam in motiuum nos percipimus, relinquendo intellectui, vt id faciat iuxta suam naturam eo modo, quo tunc facere potest. Neque enim inuenimus potestatem in anima nostra imperandi sibi, aut suis potentiis aliquid, quod postea aliquo modo co-

gnoscere non possit, an ita factum sit, nec apparet ad quid deferuiet talis potestas imperandi, cum homo nunquam agnosceret effectum, vel utilitatem sui imperij, neque eam posset agnoscere.

DISPUTATIO III

De obiecto materiali fidei.

SECTIO I. Quod sit obiectum materiale adequatum nostre fidei.

- II. Vtrum obiectum fidei sit aliquid complexum.
- III. Vtrum sit aliquis ordo inter obiecta fidei.
- IV. Vtrum articuli fidei conuenienter in symbolo tradantur.
- V. Vtrum obiecta materialia fidei successe creuerint, & el decreuerint.



OSTQVAM egimus de obiecto materiali fidei, seu de motiuo credendi, sequitur, vt agamus de materiali, seu de iis, quæ creduntur, vt plenè cognoscatur fidei obiectum & doctrina S. Thomæ in hac quaestione prima omnino explicetur.

SECTIO I.

Quod sit obiectum materiale adequatum nostre fidei.

IN hac quaestione multa miscentur de nominibus & multis sententiæ afferuntur diuersæ, quæ si res bene intelligantur, ferè conueniunt, vel parum possunt differre. Supponendum ergo in primis est id quod *disputatione prima* sect. 1. diximus, obiectum materiale in præsentibus usurpat pro eo, cui propter aliud assentimur; nam licet aliquando obiectum materiale dicatur illud, quod non terminat cognitionem immediate per suam entitatem, sed per aliquid sibi inherens, vt patet dicitur obiectum materiale visionis, quia formaliter videtur sola albedo parieti inherens, illud tamen solum est obiectum denominationis, & per accidens: nos autem loquimur in præsentibus de obiecto materiali quod immediate terminat actum fidei per suam entitatem; quare à nonnullis appellatur obiectum formale quod, vt distinguant illud à motiuo assentiendi, quod appellant obiectum formale quo. Sic loquitur Valentia in *præsentibus disputat.* 1. quæst. 1. part. 1. §. 3. melius tamen appellatur obiectum materiale cum sancto Thoma in *præsentibus artic.* 1. quia fides versatur circa illud vt informatum per auctoritatem, & reuelationem diuinam tanquam per obiectum formale.

Supponendum secundò, in obiecto materiali fidei posse distingui id de quo aliquid creditur, & id quod creditur. Primum dicitur subiectum, secundum verò prædicatum: & vtrumque simul dicitur obiectum complexum, seu tota propositio obiectiua

144 Intellectus unde determinetur ad eliciendos duos actus, vel vnum tantum, quando proponuntur motiua diuersa assentiendi.

145

obiectum. Si ergo querimus, quod sit obiectum materiale fidei adequatum; facile respondetur, non esse vnum subiectum, sed plura pro varietate actuum fidei: & idem dici debet de prædicatis; multa enim sunt, quæ creduntur, & multa ea, de quibus creduntur; & multo plura, quæ credi possunt, si reuelentur: quare obiectum materiale fidei in tota sua latitudine possibili comprehendit omnes veritates necessarias, & contingentes, quæ reuelari possunt, & quæ aliunde ex parte obiecti non inuolunt repugnantiam peculiarem cum assensu fidei: nam omnes illæ, quæcunque illæ sint, sicut cognoscuntur à Deo, ita possunt reuelari, & credi per fidem. Dixi, quæ reuelari possunt, quia si aliquæ veritates non possunt reuelari, vt cognitio qua Deus scit se nolle vnuquam aliquid reuelare, & alia huiusmodi, quæ essentialiter repugnant cum reuelatione, de his non est sermo; dixi etiam, quæ aliunde ex parte obiecti non inuolunt repugnantiam peculiarem cum assensu fidei; quia si Deus noller cum intellectu concurrere vnuquam ad assensum fidei; posset Deus reuelare hanc suam voluntatem, non tamen posset fides elicere assensum circa illam, quia ipsa reuelatio supponit, Deum nolle concurrere ad illum assensum. Dices, si reuelatio illius decreti, vel concursus ad id credendum est impossibilis ex essentia sua, ergo non comprehenditur sub obiecto illius decreti vniuersalis, quia sicut Deus non dicit, nolo creare chimaram, ita non dicit, nolo ponere reuelationem impossibilem, vel dare concursum ad actum fidei impossibilem: si autem Deus non noluit illam reuelationem vel concursum, iam non erit impossibilis ex repugnantia cum decreto diuino vniuersali. Respondet, nos ideo loqui sub conditione, si verè Deus noluit illam reuelationem possibilem, vel concursum ad vllum actum fidei possibilem: nam posito illo decreto vniuersali, iam argueretur, hanc reuelationem talis decreti, vel fidem circa illud esse impossibilem; quia si esset possibilis comprehenderetur sub nolatione vniuersali omnis reuelationis, vel fidei possibilis. Si ergo decretum supponitur vniuersale, fatendum est hanc reuelationem, vel fidem talis decreti esse impossibilem, non quia Deus illam noluit, sed ex sua essentia.

Petes, an hæc omnia obiecta materialia æquè immediatè pertineant ad fidem. Respondetur affirmatiue, quia omnia æquè induuntur motiuo formali, & æquè immediatè reuelantur à Deo, & ideo æquè esset hæreticus, & amitteret fidem, qui negaret Tobie canem, ac qui negaret incarnationem. Dices, grauior blasphemia esset negare Christi diuinitatem, quam aliam rem leuiorem. Respondet, ex specie sua æquè immediatè esse contra fidem vnum, ac aliud; cæterum ex aliqua circumstantia materiali potest crescere peccatum; præsertim quod esset maior irreuerentia negare Christo, quæ magis pertinet ad eius dignitatem, æque ideo formaliter in ratione irreuerentiæ esset maior. Dices iterum; Deus non æqualiter omnia affirmat; aliqua enim simpliciter affirmat: alia verò cum iuramento: ergo non omnia exigunt æqualem fidem. Nego consequentiam, quia tam repugnat Deo mendacium, quam perurium: licet vt nobis se accommodet, aliquando vt iuramento, vt vehementius nos ad assensum moueat: in rigore tamen semper Deus iurat, cum semper afferat se in testem, quod est propriè iurare.

Addo tamen, licet omnia æquè immediatè credantur per fidem: aliqua tamen principalius pertinere ad fidem, quam alia: cum quia de se sunt nobiliora obiecta; quare sicut lumen naturale intellectus magis inclinat ad cognoscendam veritatem nobiliorem; sic etiam lumen fidei. Tum etiam quia quædam sunt, quæ magis conducunt ad finem, qui de facto per fidem intenditur, vt postea videbimus. Dices, obiecta materialia credita per fidem non omnia habent æqualem veritatem, ergo non omnia æquè creduntur per fidem, sed ea, quæ magis vera sunt, magis debent credi, sicut ea, quæ magis bona sunt, magis amantur per charitatem bene ordinatam. Antecedens verò probatur, quia maiorem, & firmiter veritatem habet esse Dei, & eius perfectio, quæ per fidem creditur, quam aliqua res contingentes creatæ, quæ per eandem fidem creduntur. Respondetur (omissa responsione Patris Suarez in præfati disp. 2. sect. 2. num. 4. quæ fortasse in idem recidit, sed obscurior est) admissio antecedenti, distinguendo consequens; magis debent credi, quæ maiorem habent veritatem, quando motiuum credendi est ipsa veritas propria obiecti crediti, transeat; quando motiuum credendi est alia veritas, quæ æquè participatur ab aliis veris, quæ creduntur, nego. Ad quod retorqueri potest exemplum charitatis, quæ quidem magis amat Deum, quam creaturas, quia bonitas infinita Dei, quæ est motiuum amandi, magis & perfectius participatur ab ipso Deo, cui est essentialis, quam à creaturis, quæ illam extrinsecè participat; inter ipsas vero creaturas non magis amat semper quæ in se sunt perfectiores, sed eas, quæ quibus maior Dei gloria resultat: quare si ex creatione hominis maior gloria Dei resultabit, quam ex creatione Angeli, & magis illa, quam hæc sit iuxta Dei beneplacitum; charitas magis amabit hominem, quam Angelum; si verò æqualis gloria ex vtraque resultet, & æquè sit iuxta Dei beneplacitum, æquè vtramque amabit: quia motiuum vltimum amandi per charitatem non est propria bonitas Angeli, vel hominis, sed bonitas Dei. Sic ergo fides, cum eius motiuum vltimum non sit veritas obiecti crediti, sed veritas, & testimonium Dei, æquè debet credere omnia, quibus æquè hoc motiuum communicatur: omnia autem reuelata æquè participant hoc motiuum, cum æquè infallibilis sit Deus in omnibus, quæ dicit, & æquè omnia reuelet: ergo fides æquè omnia credit propter idem motiuum.

Petes iterum, an mendacium etiam pertineat ad obiecta materialia fidei. Respondetur, distinguendo, mendacium enim non potest esse obiectum creditum per fidem, per quam non potest credi aliquid falsum, vt infra videbimus: potest tamen mendacium esse obiectum, de quo fides aliquid credat, vel quod de aliquo credat. Nam fides credit, mendacium esse peccatum, vbi mendacium est subiectum fidei, de quo aliquid credit. Item fides credit id, quod Diabolus dixit Euz, fuisse mendacium, vbi mendacium est prædicatum, quod fides enunciat de sermone Dæmonis, itaque id, quod propriè creditur, est coniunctio prædicati cum subiecto; quæ si sit falsa, non potest credi per fidem: de ipso tamen falso potest fides aliquid verè credere, vel ipsum etiam falsum potest de aliquo verè enunciare.

Dices, saltem in actu dissensus elicitò à fide copulam ipsam prædicati cum subiecto esse falsam.

5
An quædam obiecta materialia principalis pertinere ad fidem.

8
Mendacium an pertineat ad obiecta materialia fidei.

6
Mendacium an pertineat ad obiecta materialia fidei.

7

nam, v. g. in actu, quo negamus Patrem esse incarnatum; ideo enim actus ille est verus, quia falsa est coniunctio prædicati cum subiecto, quam actus negat. Suppono autem id, quod dixi *disp. 1. de virtute penitentia, sect. 2.* dissentium mentalem non habere pro obiecto negationem prædicati de subiecto, sed coniunctionem, quam coniunctionem per fugam intellectualem negamus, & ei dissentimus, quare sola copula falsa videtur esse obiectum illius dissentus. Ad hoc tamen facile responderetur, & in primis dici posset, actus omnes fidei in rigore non esse dissentus, sed assensus, qui inferuntur ex duabus affirmatiuis, v. g. *quidquid Deus dicit, est verum, & Deus dicit Patrem non esse incarnatum*, quare non potest inferri propositio negatiua, sed affirmatiua iuxta regulas summulisticas, nempe, *ergo verum est, Patrem non esse incarnatum*, qui non est dissentus, sed assensus. Sed quia hoc difficultate non caret, de qua redibit sermo inferius, facilius responderi potest, quod quidquid de hoc sit, in illo dissentiu coniunctio falsa prædicati cum subiecto non esset obiectum creditum, sed negatum per fidem: non autem solius dicimus falsitatem non posse esse obiectum materiale creditum per fidem, quidquid sit, an possit esse obiectum directe negatum.

8
Obiectum materiale adæquatum duplex.

Supponendum ergo tertio obiectum materiale adæquatum alicuius scientiæ, vel habitus, aliud esse adæquatum simpliciter: aliud dici adæquatum attributionis: primo modo obiectum adæquatum complectitur omnia, quæ attinguntur per omnes actus illius scientiæ. Secundo modo dicitur obiectum adæquatum, quod licet non attingatur immediatè per omnes actus; omnia tamen obiecta illorum actuum ordinantur ad illud melius, & magis completè cognoscendum. Exemplum habes in medicina, cuius obiectum adæquatum attributionis est curatio hominis; & licet non cognoscat immediatè hanc curationem per omnes actus; omnia tamen cognoscit in ordine ad eam: unde actus, quo cognoscit naturam, & proprietatem talis vel talis herbarum; & eius temperamentum, ideo pertinet ad medicinam, quia illa cognitio deferuit ad melius sciendum modum curandi talem, vel talem morbum. Sic ergo de fide inquiri potest, an in omnibus obiectis materialibus, quæ respiciunt, sit aliquod obiectum adæquatum attributionis, in ordine ad cuius meliorem cognitionem cetera omnia cognoscantur, & quale illud sit. Dixi, alias omnes cognitiones debere ordinari ad obiectum attributionis melius cognoscendum; non quidem ad illud faciendum, vel acquirendum, sed cognoscendum: nam licet cognitiones fidei ordinentur ad eliciendum amorem Dei, non est tamen amor Dei obiectum attributionis, nisi fortè parziale, in quantum fides etiam docet, quomodo sit habendus amor Dei: obiectum enim attributionis est, quod cognoscitur per illam scientiam, vel habitum, & ad cuius meliorem cognitionem deferuiunt, & ordinantur ceteri actus illius scientiæ.

9
Hoc intelligi debet.

Supponendum quartò, quando dicimus, omnia alia obiecta cognosci in ordine ad obiectum attributionis, non debere intelligi, quod omnes actus ferant secum in sua entitate, seu in modo intrinseco tendendi ad sua obiecta aliquem ordinem intrinsecum ad obiectum attributionis; nam cognitio, qua medicina inuestigat naturam, & temperamentum talis herbarum, non habet ma-

iorem ordinem, quantum est de se, ad curationem hominis cognoscendam, quam ad alium finem, ad quem illius herbarum natura utilis esse potest; & quàm si medicina non intenderet illum hominis curationem cognoscere, nam illa cognitio, solum repræsentat naturam, & temperamentum herbarum à priori vel posteriori cognitum præscindendo à fine, quem medicus intendit: quare tota illa ordinatio est extrinseca habens se ex parte habentis illum cognitionem in ordine ad talem finem. Sic etiam actus fidei, quo credimus Tobiam habuisse canem, propter Dei reuelationem, de se non habet ordinem intrinsecum, nisi ad hoc peculiare obiectum, esto obiectum attributionis fidei sit Deus, vel aliquid aliud: quia licet hæc omnia, quæ creduntur, sint opera Dei, & per consequens habeant ordinem ad Deum; possunt tamen credi, præscindendo ab eo ordine sicut philosophia agit etiam de ente mobili quod habet ordinem ad Deum, & tamen Deus non ideo est obiectum attributionis Philosophiæ, quia non intenditur præcipuè à Philosopho per suos omnes actus cognitio Dei, sed cognitio ipsius entis mobilis.

Contrarium ex parte videtur docere Suarez *disp. 2. sect. 1. n. 8.* ubi dicit, Deum etiam vt obiectum materiale respici ab habitu fidei cum necessitate intrinseca, & essentiali ipsius habitus fidei; quia nihil est credibile per fidem, nisi sub testimonio diuino, & per consequens, quoties fides aliquid Deo credit, debet credere Dei reuelationem, & Dei etiam infallibilitatem; ergo semper supponitur creditum Deum esse, & esse summe veracem; ergo Deus vt obiectum materiale habet necessariam connexionem cum fide, quam non habent alia obiecta. Hoc tamen argumentum confundit, ni fallor, obiectum materiale cum motiuo formali fidei, quæ quidem necesse est, quod semper credat Deum esse veracem, & propter eius auctoritatem credat alia obiecta: tunc tamen veracitas Dei non est obiectum materiale, sed motiuum formale fidei. Quamvis autem veracitas ipsa possit aliquando esse obiectum materiale, quia ipsa etiam de facto reuelata est à Deo; si tamen non fuisset reuelata prout potius non reuelari, ipsa nunquam fuisset obiectum materiale. Non ergo probatur, fidem habere ex sua essentia maiorem connexionem intrinsecam cum Deo vt obiecto materiali, quàm cum aliis obiectis reuelatis.

Hinc infero, esto de facto Deus sit obiectum adæquatum attributionis fidei (de quo postea de possibili tamen potuisse non esse: potuit enim Deus plures veritates reuelare, quæ de se non magis deferuiunt ad Dei cognitionem, quàm alie veritates naturales, quas speculatur Philosophia, vel Metaphysica. Quare sicut Philosophia, vel Metaphysica non est Deus adæquatum attributionis obiectum, sic nec esset fidei in illo casu. Dices, ergo iam non omnes fidei actus essent virtutis Theologicæ, cum non omnes attingerent Deum. Respondeo, negando sequelam, quia ratio virtutis Theologicæ (vt dixi *disp. 1.*) non consistit ex obiecto materiali, sed ex motiuo formali, quod in fide est veracitas diuina.

His suppositis questio remanet an de facto obiectum adæquatum attributionis nostræ fidei, id est, ad cuius cognitionem omnes fidei actus ordinantur, sit Deus solus, an aliquid aliud: & respondetur, quod dubitari non potest, Deum, si non sit Deus, obiectum

obiectum adequatum, esse tamen principalissimum, & de quo plura, & potissima nostra fides credit, ut patet ex articulis, qui continent precipua capita fidei christianae, & omnes continent aliquas veritates, quas de Deo ad intra, vel ad extra confitemur.

Dubitari autem potest, utrum Deus sit obiectum attributionis fidei solum sub conceptu Deitatis, an etiam secundum attributa, & alias perfectiones intrinsecas, quas habet. Ad quod breviter respondeo, Deum ipsum secundum esse suum esse principale subiectum attributionis fidei, de ipso enim Deo creduntur attributa, & perfectiones omnes: ipsa tamen attributa, & aliae perfectiones ut creditur de Deo sunt obiectum attributionis. Quod explicari potest in aliis obiectis attributionis, v.g. Physica habet pro obiecto attributionis corpus naturale, seu ens mobile: & quidem corpus ipsum est subiectum, de quo Physica demonstrare ostendit naturalitatem, seu principium motus & quietis: ipsa tamen naturalitas, seu principium motus, & quietis est etiam obiectum attributionis, quia Physica intendit primario ostendere, & docere, quomodo enti naturali seu mobili conveniat hoc praedicatum. Similiter Logica habet pro obiecto attributionis operationes intellectus ut dirigibiles: & ipsae operationes intellectus sunt subiectum attributionis, de quo ostenditur dirigibilitas, totum tamen illud complexum, nempe operationes dirigibiles, est obiectum attributionis, quod Logica probare, & explicare primario intendit. Sic ergo fides ordinatur principaliter ad docendos nos infinitam Dei perfectionem, ut cognoscamus qualis & quantus sit noster Deus: quare Deus secundum se est subiectum attributionis, perfectio autem infinita Dei, quae constat ex omnibus eius perfectionibus intrinsecis est id, quod fides intendit docere de Deo, ut sciamus, quomodo Deus sit infinite perfectus, & digne sentiamus, de Deo. Restat, ergo difficultas, an Deus non solum sit obiectum principalissimum, & potissimum, sed etiam adequatum attributionis nostrae fidei.

Plures numerantur sententiae. Durand. q. 5. *prologi* docet, obiectum adequatum esse bona merita: cuius sententiam late refert Vasquez *primotom. in primam partem disput. 10. c. 2.* Durand. in ea forte non permanfit, ut notat Suarez in praesenti *disput. 2. sect. 1. num. 3.* Gabr. & Ochamus indicant, obiectum adequatum esse Christum. Alij dicunt, obiectum adequatum esse Deum, non quidem secundum se, sed sub ratione glorificationis, seu ut alij dicunt, sub ratione Salvatoris: vel ut dixit Albertus, quatenus Alpha & Omega, id est principium & finis. Alij denique dicunt, esse Deum secundum se, seu sub ratione deitatis, quam sententiam post alios sequuntur Valentia §. 3. & Vasquez *ubi supra*, & Suarez. *ubi supra* *sect. 1. c. 2.* Hurtado *disput. 16. sect. 3.* & alij. Existimo, has omnes sententias parum differre: obiectumque adequatum attributionis fidei esse Deum secundum se, & ut assequibilem à nobis: haec enim videntur esse, ad quorum cognitionem ordinantur omnia, quae fides nostra de facto docet, ut scilicet sciamus, quis sit Deus, & quibus mediis consequi debeamus salutem nostram. Cum hoc tamen stat, quod dici possit Deum esse obiectum adequatum nostrae fidei prout dicitur à Sancto Thoma, & aliis communiter. Et in pri-

mis, quod Deus sit obiectum attributionis constat ex multis Scripturae testimoniis, quae ad hoc ponderat Valentia *ubi supra* & ex Augustino *lib. 4. de Civit. Dei c. 29.* in haec verba: *Fidei primum & maximum officium est, ut in verum credatur Deum.* Et ex aliis Patribus ab eodem Valentia adductis. Quod vero salus nostra etiam pertineat ad fidei obiectum colligitur ex pluribus locis Scripturae. Isaia 48. *Ego sum Deus tuus docens te viis ad Ephel. 4. Ipse dedit quosdam Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem Sanctorum, 2. ad Timoth. 3. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Ideo fides saepe appellatur *scientia salutis, Verbum salutis, Luc. 1. act. 13.* & alibi saepe.

Dices, notitia nostrae salutis etiam ordinatur ad meliorem Dei notitiam, ergo solus Deus, & non salus nostra est adequatum obiectum attributionis fidei cum ad ipsum cetera ordinantur. Ex solutione huius obiectionis constabit ratio nostrae conclusionis, quia ut aliquod sit obiectum adequatum attributionis alicuius scientiae, non sufficit, omnia, quae docentur in ea scientia, ordinari ad illud, sed ultra hoc requiritur, quod ea omnia non cognoscantur propter se, sed propter meliorem illius notitiam habendam: sic enim medicus non cognosceret naturam herbae, nisi conduceret ad sciendum modum curationis. Quod si medicus cognosceret naturam herbae expectando etiam illam cognitionem propter se independentem à cognitione curationis: non esset, cur herba excluderetur à ratione obiecti attributionis saltem partiali, ideo in proemio Dialecticae dixi, demonstrationem non esse obiectum adequatum attributionis Dialecticae, quia licet definitio, & divisio & alia, quae traduntur in Logica, deferantur ad demonstrationem, non tamen cognoscuntur solum propter demonstrationem, sed etiam propter se, quia cognitio definitionis, & divisionis, etiam independentem à demonstratione utiles sunt ad dirigendos actus intellectus.

Hinc ergo patet ad obiectionem, nam licet cognitio salutis, & sanctitatis conducatur ad cognoscendum Deum eius auctorem, & finem; haec tamen à fide non solum intenduntur ad generandam in nobis meliorem Dei notitiam, sed etiam propter se: ita ut licet ex cognitione mediorum nostrae salutis non gigneretur melior cognitio Dei; adhuc traderetur à fide, & adhuc Deus reuelaret nobis, quae media convenientiora essent ad nostram sanctitatem, & perfectionem. Vtrumque ergo fides de facto intendit; scilicet, ut cognoscamus Dei maiestatem & de ipso sentiamus prout oportet; & ut sciamus etiam viam salutis & perfectionis nostrae: quae ad haec videntur ordinari omnia, quae per fidem nobis manifesta sunt. Denique cum hoc stat, quod dicere possumus Deum obiectum adequatum attributionis nostrae fidei, prout loqui videtur S. Thom. *praesenti art. 1.* loquitur enim de Deo non solum secundum se, sed ut assequibile etiam à nobis, multa enim docet fides non solum ut sciamus, qualis sit Deus in se, sed ut sciamus etiam, qualiter sit à nobis assequendus. Deus autem sumptus cum hac latitudine bene appellatur obiectum adequatum attributionis fidei.

Obiiciunt

16

17

Fides hac duo intendit: ut cognoscamus Deum, & viam nostrae perfectionis.

18
*des est par-
tim specula-
tium, partim
practica.*

Obiiciunt aliqui, quia in symbolo continetur præcipua mysteria nostræ fidei, & tamen in symbolo nihil traditur de actu mentorio, nec de modo bene operandi. Respondetur, fidem esse partim speculatiuam, partim practicam; & quidem præcipua eius mysteria, quatenus speculatiua est, & ordinatur ad cognitionem continentur in Symbolo, quod potissimum ordinatur ad cognitionem: at vero quatenus practica, magis continetur in lege seu decalogo, cuius notitia etiam est necessaria omnibus, & quæ ordinatur ad bene operandum.

19
*Christi hu-
manitas an
etiam perti-
neat ad ob-
iectum attribu-
tionis nostræ
fidei?*

Dubitari posset de humanitate Christi, an etiā pertineat ad obiectum attributionis nostræ fidei propter illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum:* quod de cognitione etiam fidei solet explicari & illud Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt ut, credatis quia, Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine eius.* Verius tamen videtur, Christi humanitatem, licet sit primum, & præcipuum medium nostræ salutis, & potissimum Dei in homines beneficium, pertinere tamen ad fidem secundario, sicut cætera beneficia Dei, & sicut alia media nobis collata ad salutem: scilicet, ut ex eius cognitione melius cognoscatur Dei bonitas erga nos, & melius sciamus, quam viam sequi debemus ad consequendam nostram salutem.

20
Obiectio 1.

Contra hanc doctrinam obiici potest primo, quia aliqua videntur tradi per fidem, quorum cognitio ad neutrum horum obiectorum ordinatur, v. g. Tobiam habuisse canem; quis enim melius cognoscit Deum, aut media suæ salutis ex eo, quod sciat Tobiam habuisse canem: ergo non est solum illud quod diximus obiectum attributionis fidei de facto. Respondent aliqui illam veritatem conducere ad cognoscendam veritatem Dei, quæ nec in re leuissima deficere potest. Sed contra, quia in primis pari ratione diceres, eorum omnium, quæ Petrus narrat, vel docet esse ipsum Petrum obiectum attributionis, quod est ridiculum. Et ratio est, quia narratio Petri non dicitur, nec ostenditur, Petrum esse veracem; nisi rei euentus aliunde cognitus id probet, imò supponit in audiente fidem veracitatis Petri, ut credatur res narrata. Melius ergo Respondetur, canem Tobie, licet non per se conducat ad Dei bonitatem, vel viam nostræ salutis cognoscendam: conducere tamen quasi integraliter, & quasi partem historiæ gratissimæ commendantis Dei bonitatem erga Tobiam, cuius aliqua lætitiæ pars fuit aduentus canis præcedentis filium suum & gestientis; quæ etiam ratione quasi in speculo videmus nostræ salutis viam per Tobie imitationem, cui post ærumnas, & probationes Deus prosperitatem, & lætitiā restituit in maximo, & in minimo.

21
Obiectio 2.

Secundo obiicies, quia idem est subiectum adæquatum principiorum & cōclusionum, principia autem nostræ fidei sunt articuli, qui omnes sunt de Deo; ergo Deus secundum se solum est obiectum adæquatum attributionis. Respondetur, articulos esse quidem quasi dignitates, & principia principalissima nostræ fidei, esse tamen alia plura principia, & veritates immediate etiam reuelatas nostræ fidei, quarum subiectum est bonitas & honestas virtutis, malitia vitiorum; &c.

22
Obiectio 3.

Tertio Obiicies, Metaphysica habet etiam pro obiecto partia attributionis Deum, ergo quoad

illam partem non distinguitur à fide. Negatur consequentia; quia Metaphysica inuestrat Dei per rationem naturalem; fides vero per solam ipsius Dei reuelationem, quare licet non differant quoad obiectum materiale, differunt maxime penes diuersum morium formale assentiendi.

Quarto obiicies, quia omnis scientia supponit de suo subiecto quod sit, & quid sit, ut dicitur in poster. fides autem non supponit, sed docet esse Deum, & quod sit Deus; ergo Deus non est subiectum fidei. Respondetur, illam prænotionem de subiecto quod sit, non exigi ab Aristotele ad omnem scientiam, sed ad demonstrationem perfectissimam, quæ prima passio demonstrationis de sua essentia: plures enim sunt demonstrationes, quibus probatur ipsa existentia subiecti sicut à posteriori. Item prænotio de subiecto, quod sit, solum requiritur, quatenus importat notitiam nominis, & aliquam notitiam consilium ipsius rei significatæ per talem vocem: cognitio enim distincta quidditatis subiecti potius sepe intenditur quam supponatur per plures demonstrationes, ut probauit latè vtrumque in posterioribus.

Quinto arguit Suarez *dicta disp. 2. sect. 1. n. 2.* ex Paulo ad Hebr. 11. dicente, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Sed certè ex illo loco magis probaretur non esse solum Deum secundum se obiectum adæquatum attributionis fidei, cum statim addiderit Apostolus illud aliud, *& quia remunerator est;* vnde non proposuit solum Deum secundum se. Nec magis videtur, quod asserti idem Suarez ibi ex Augustino supra relato dicente, *dei unum, & primum, ac maximum officium est, ut in unum credatur Deum.* Vbi certè Augustinus non dixit, hoc esse solum, & totum fidei officium, sed vnum primum, & maximum; cum quo fiat, quod aliud etiam officium habeat, ut docet nos eundem Deum, ut à nobis assequibilem. Quod satis explicuit idem August. postea lib. 1. de *Crit.* c. 2. dicens, finem totius fidei, & ipsius etiā Christi esse, ut ad Deum perueniatur. Quem duplicem fidei finem indicauit etiam Ioannes cap. 20. in illis verbis. *Hæc scripta sunt, ut credatis, & credentes vitam habeatis in nomine eius.* Quæ omnia magis confirmabuntur ex iis, quæ latius dicentur infra agendo de charitate, & quomodo Deus propriè exerceat actum amicitie erga iustos, quia nimirum Deus, licet ea, quæ facit ordinat primario ad gloriam suam, ordinat tamen ad nostram etiam vtilitatem, & bonum, quod habet etiam pro fine suorum operum: quare fidem etiam non solum dat, ut credamus, & sciamus, quæ de ipso Deo nosse oportet, sed etiam ad nostram vtilitatem, ut viam noscamus comparandi ipsum Deum.

Sexto arguit Granado in *presenti tract. 1. disp. 6. n. 11.* quia in Deo est auctoritas, quæ est obiectum formale fidei: sed illud in quo est intrinsecè ratio formalis alicuius habitus, dicitur obiectum materiale præcipuum, ergo. Nescio tamen vnde sumpsit illam minorem, aut probare possit, illud esse obiectum materiale adæquatum imò nec præcipuum in quo est intrinsecè ratio formalis, seu morium assentiendi. Certè morium formale fidei humanæ est etiam auctoritas narrantis mihi historiam, quam vidit, quæ auctoritas residet in ipso narrante: & tamen obiectum materiale fidei humanæ adæquatum, nec præcipuum etiam, aut partiale, non est ipse ami-

cus narrans, sed historia narrata, cuius notitiam mihi communicare intendit. Item Philosophia ut in plurimum probat suas conclusiones & rerum naturas ab effectibus; ab experientia enim gignitur scientia; quare motuum formale assentiendi sunt ipsæ operationes, quæ si sint transeuntes, non manent in principio producente, sed in effectu productio; & tamen non tam intendit Philosophia explicare ipsos effectus, quam naturam causæ, & ideo obiectum adequatum attributionis in Philosophia non dicimus esse operationes, & effectus entis naturalis, sed ipsum ens naturale, & sic de alijs. Quamvis ergo Deus aliunde sit obiectum materiale præcipuum fidei; id tamen non provenit ex eo, quod in ipso resideat auctoritas, quæ est motuum formale credendi, & multo minus inde probari potest, quod Deus sit obiectum totale attributionis.

25 Adde tamen, in aliquo sensu posse dici Deum obiectum adequatum attributionis fidei. Et in primis possumus simpliciter & absolute dicere, Deum esse subiectum adequatum attributionis fidei; quia illud est subiectum attributionis adequatum alicuius habitus, vel scientiæ, de quo prædicantur omnia, quorum notitiam intendit illa scientia, vel qui eam tradit. Sic enim operationes intellectus sunt subiectum adequatum attributionis Logicæ; quia de ipsis prædicatur omnis dirigibilitas, quam ipsa Logica solum intendit explicare: de Deo autem prædicantur omnia, quorum notitiam dare intendit ultimo fides: nam de Deo in primis prædicantur, & creduntur perfectiones diuinæ, quas fides docere intendit: & de eodem Deo prædicatur, & creditur assequibilitas, quam eadem fides intendit nos docere, ut teneamus modum assequendi: ergo Deus est subiectum adequatum attributionis totius fidei. Nam, licet non omnia, quæ per fidem credimus, credamus de Deo, sed de alijs etiam subiectis, v. g. de Abrahamo, quod habuit duos filios, de Tobia, quod habuit canem, &c. horum tamen notitia non intenditur propter se à fide, sed ut melius cognoscamus Deum secundum se, vel certe Deum, ut à nobis assequibilem: in iis ergo actibus, qui propter se intenduntur, semper Deus est subiectum, quia vel cognoscimus aliquid de ipso Deo, vel assequibilitatem eius, quæ etiam de ipso Deo prædicatur.

26 Deinde potest Deus dici aliquo modo non solum subiectum, sed etiam obiectum adequatum attributionis fidei: non ita ut solus Deus sit obiectum attributionis, seu in sensu exclusivo, sed in sensu affirmativo, ita ut Deus sit obiectum, ad quod, & ad cuius notitiam referantur, & ordinantur omnia, quæ per fidem creduntur. Sicut dicitur etiam finis vniuersalis omnium, quæ ipse facit, quia omnia ad se ipsum, & ad suam gloriam ordinat, licet ordinet etiam ad nostrum bonum, & utilitatem. Sic etiam, licet notitia fidei magna ex parte ordinetur etiam ad hoc, ut cognoscamus assequibilitatem Dei: hæc tamen eadem notitia, & omnia alia, quæ fide creduntur, ordinantur etiam ad hoc, ut melius cognoscamus ipsum Deum, quare in sensu saltem non exclusivo, sed merè assertiuo dicere possumus, Deum esse obiectum adequatum attributionis fidei, quia adæquat totam fidei latitudinem, cum nihil fides doceat, nisi vel de ipso Deo, vel saltem ex hoc fine, ut melius cognoscamus ipsum Deum.

Ex dictis infero, quid sentiendum sit de sententia Paludani in 3. disp. 24. quæst. 1. conclusio-
ne 2. qui dixit, ita Deum esse subiectum adequatum fidei, ut nulla sit propositio fidei credita, cuius subiectum non sit Deus, licet prædicatum possit esse aliquid extra Deum. Quod dictum P. Suarez dicta disp. 2. sect. 2. n. 1. acriter reprehendit, cum multa credantur per fidem, quæ non creduntur de Deo v. g. Quod Abraham genuit Isaac, quod Beata Maria fuit perpetua virgo, & his similia, in quibus Deus non est subiectum, sed aliquid extra Deum. Quod quidem verissimum est: si tamen Paludanus suam propositionem limitasset, & dixisset, Deum, nihil unquam reuelare in quo non reuelat aliquid de se, & per consequens, Deum esse subiectum cuiuslibet reuelationis, verum dixisset: quia, ut latius dixi disp. 23. De Penitentia sect. 4. quicumque loquitur, immediate significat suam mentem & dicit, scire talem rem: quare quocumque Deus loquitur, & reuelat nobis aliquid, immediate reuelat, se scire talem veritatem, & mediatè solum, ac consequenter rem ipsam, seu veritatem quam dicit se scire: atque ideo semper Deus ipse est subiectum reuelationis, de quo affirmatur scientia talis obiecti. Adus tamen, quo postea credo, v. g. Abraham genuisse Isaac, non habet Deum pro subiecto, quia per illum actum non credo Deum id scire, sed ex eo, quod Deus id dixerit, infero verum esse, quod Abraham genuit Isaac, quamvis Deus id dicens, non habuerit immediate pro subiecto reuelationis Abraham, sed se ipsum, de quo affirmavit scientiam talis veritatis. Vnde potuissim ego per fidem inferre etiam, non quidem, Abraham genuisse Isaac, sed Deum id scire, quia hoc etiam Deus reuelauit, imo magis immediate, & directè hoc reuelauit, quam illud aliud: quare potuissim discursum formalem, vel virtualem fidei ita formare: quidquid Deus dicit, est verum, sed Deus dicit, se scire, quod Abraham genuit Isaac: ergo verum est, Deum id scire; in quo ultimo assensu fidei Deus, & non Abraham esset subiectum, de quo creditur per fidem scientia talis obiecti. Communiter tamen non inferimus hanc conclusionem, sed aliter formamus discursum, nempe, quidquid Deus quocumque modo dicit, est verum, sed Deus dicit, saltem indirectè, & mediatè, quod Abraham genuit Isaac; ergo verum est, quod Abraham genuit Isaac. In quo ultimo assensu Deus nullo modo est subiectum talis propositionis, ut dicebat bene P. Suarez.

SECTIO II.

Verum obiectum fidei sit aliquid complexum.

28 **Q**uestionem hanc proponit S. Thomas in præsentia quæst. 1. art. 2. & testatur fuisse duas sententias, alteram affirmantem, alteram negantem, obiectum fidei esse aliquid complexum per modum enunciabilis: ipse vero utramque sententiam conciliat dicendo, esse quidem incomplexum ex parte rei credite, esse verò complexum ex parte credentis, quia cognita sunt in cognoscente per modum cognoscentis: est autem modus proprius humani intellectus, ut componendo,

27

Quid sentit-
dum sit de
sententia Pa-
ludani.